

cœli atque terræ, me cum neutrum audissem, semper tamen utrumque sensisse, quod (a) per homousion homœusion oporteret intelligi: id est, nihil simile sibi secundum naturam esse posse, nisi quod esset ex eadem natura. Regeneratus pridem, et in episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicœnam numquam nisi exsulaturus audivi: sed mihi homousii et homœusii intelligentiam Evangelia et Apostoli intinuerunt. Pium est quod volumus. Ne damnemus patres, ne animemus hæreticos: ne dum hæresim apellimus, hæresim nutriamus. Interpretati patres nostri sunt post synodum Nicœnam homousii proprietatem (b) religiose, exstant libri, manet conscientia: si quid ad interpretationem addendum est, communiter consulamus. Potest inter nos optimus fidei status condi: ut nec ea quæ bene sunt constituta 519 vexentur, et quæ male sunt intellecta resecentur.

(a) In vulgatis, per homœusion homousion. Cum verbis Hilarii modo allatis, se per unitatem similitudinem recepisse, magis consonat lectio mss.

(b) In excusis, religiosi exstant libri. At in mss., religiose: quod refertur ad verbum interpretati sunt, et illustratur his verbis n. 27 libri contra Constant. : Exstant enim litteræ, quibus id, quod tu criminatum putas, pie tunc esse susceptum docetur. Porro etiam apud Socratem lib. 1, sub finem cap. 8, exstant Eusebii Pamphili litteræ, quibus hanc vocem sibi pie ac religiose expositam se suscepisse scribit.

92. Egressus sum, Fratres charissimi, humanæ conscientie pudorem: et humilitatis meæ immemor, de tantis ac tam reconditis rebus, et ad usque hanc ætatem nostram intentatis ac tacitis amore vestri coactus hæc scripsi, et quæ ipse credebam locutus sum: conscius mihi, hoc me Ecclesiæ militiæ meæ stipendium debere, (c) ut per has litteras, episcopatus mei in Christo vocem, secundum doctrinas evangelicas, destinarem. Vestrum 520 est in commune tractare ac providere atque agere, ut quod usque nunc inviolabili fide manetis, religiosa conscientia conservetis, et teneatis quod tenetis. Mementote exsilii mei in orationibus sanctis: a quo me, post expositionem huius fidei, nescio an tam jucundum est ad vos (d) in Domino Jesu Christo reverti, quam securum est mori. Deus et Dominus noster incontaminatos vos et illæsos in diem revelationis reservet opto, Fratres charissimi. (e)

(c) Editi, et pro ut; et mox, destinare pro destinarem: corriguntur ex mss. Præferre tamen licet cum Colb. et Germ. debere per has litteras... destinare.

(d) Er., Mir., Lips. et Par., in domum Christi reverti, Bad. et omnibus mss. renitentibus.

(e) In recentioribus mss. sic absolvitur hic liber: Homousion græcum est. Interpretatio homousion, unius substantiæ: et homœusion interpretatur similis substantiæ; sed per homousion oportet intelligi: quæ studiosi alicujus potius nota videtur, quam auctoris.

521-522

## SANCTI HILARII

## APOLOGETICA AD REPREENSORES

## LIBRI DE SYNODIS RESPONSA (f).

I. In hæc num. 3: Et licet non sine aliquo aurium C scandalolo... restiterint Orientales Anomœis.

Si diligenter sententia hæc expensa esset, forte totius tractatus mei ratio non fuisset suspiciosa. Non enim (g) tacui esse illic, quod non nisi cum scandalolo esset audiendum.

II. Initio num. 13, post recitationem primi decreti Ancyranæ synodi.

Expositiones omnes (Ancyranæ synodi, quæ hoc libro describuntur), si quid habent criminis, intra se habent; cæterum non habere in publica facie existimantur. Sed quia scirem ea sola Sirmium esse delata (f. eas solas delatas).

III. Respicit ista num. 77: Exposita similis substantiæ, quæ homœusion appellatur, fidei ac pia D intelligentia.

Non puto quemquam admonendum, in hoc loco ut expendat, quare dixerim SIMILIS SUBSTANTIÆ

(f) Primum typis mandata in ed. Veronensi, quam recudimus.

(g) Hoc ita evidenter postulat sensus, ut præferen-

PIAM INTELLIGENTIAM, nisi quia intelligerem et impiam: et idcirco similem, non solum æqualem, sed etiam eandem dixisse, ut neque similitudinem, quam tu, frater Lucifer, prædicari volueras, improbarem; et tamen solam piam esse similitudinis intelligentiam admonerem, quæ unitatem substantiæ prædicaret.

IV. In mss. cum superiori uno tenore continuatum pertinet ad hoc num. 78: O studiosi tandem apostolicæ atque evangelicæ doctrinæ viri... quantam spem revocandæ veræ fidei attulistis?

In eo vero, quod laudans eos in invidiam deducor a quibusdam; parum intellectus sum. Non enim eos veram fidem, sed SPEM REVOCANDÆ VERÆ FIDEI attulisse dixi: ut sicut illi auditi sunt, ita et nos ex hoc contra Valentem et Ursacium possemus audiri, et (h) coaptandus ad eos allocutionis sermo blandus nihil aliud, quam procacium conviciorum effugeret fœditatem; cum amarius atque etiam pro-

dum duxerimus, quamvis exstet in mss. tacuissimè illic.

(h) Ita ms. Mich. At Carn. et Tell. coapta ea deus. Forte, quo aptæ ad eos, vel coaptus ad eos.

brosius in consequentibus (præsertim num. 91), occulta expositionum essem scandala proditurus.

V. *Aptatur his num. 80*: Oro autem vos, sanctissimi viri, ut cum bona venia sollicitudines meas æstimetis.

Pro prudentia vestra expendite, quid sit a sanctissimis viris poscere, ut cum bona venia audiant dicentem; et an ejusdem sit adulari, et objurgare. Hoc ideo ita dictum est, (a) quia quæ ad præsens tacita ab his (*Legatis Sirmium missis*) fuissent, eram proditurus (num. 90 et 91); non tamen in his, quæ possent tamquam excusabilia defendi, viderer calumniari.

VI. *Attinet ad hæc num. 87*: Et ego invitus licet, respondebo, etc.

Satis absolute, Domine frater Lucifer, cognosci potuit, invitum me homœusii mentionem habere. Sed quia tu similitudinem Filii ad Patrem prædicabas, demonstratio ejus a me fuit exponenda sine vitio.

VII. *His subnectitur num. 88*: (b) Synodo Samosatensæ subscribendum putas. Subscribamus et Nicææ synodo.

Numquid et hic (c) de homœusione legentem, admonui, non aliter ostendens suscipi oportere, nisi ad unitatem substantiæ referretur?

VIII. *Reprehensorum oculis exponit hoc num. 89*: Et me movet (cum scandalo) homœusii nuditas, etc.

Anne quisquam me existimare poterit homœusion velle suscipere, de quo ista tractavi?

(a) Particula *ut* videtur hic deesse.

(b) Aptius subjungeretur illis ejusdem numeri verbi, *Decernatur nihil differri, quibus et similis esse substantiæ.*

A IX. *Huc affine, adducitur post allata exempla eorum quæ externa similitudine fallunt.*

Numquid et hic similitudinis negligens fui?

523-524 X. *Convenit his num. 90*: Parcens enim adhuc de his nihil dico, quæ *Ancyrae cum scandalo decreta sunt.*

Anne existimor suspicionem ab his adimere, vel ea laudare quibus parco? Parcere enim, et cum dilatione ad hoc parcere, nihil improbi est et remissi.

XI. *In mss. decimo continuatum cadit in illa n. 91*: Ut probari possit homœusion, non improbemus homœusion; *item et in ista ejusdem numeri*: Impium est quod audetis, etc.

An hic similem substantiam aliud patior esse nisi *uam*? quæ si non una sit antea constituta, jam postea impie sit similis prædicanda.

XII. *Subjicitur post hæc num. 91*: Homœusion nescio nec intelligo, nisi tantum ab similis essentiæ confessione, etc.

Numquid videor quod nescivi probare potuisse (*accipiendo homœusion pro similitudine non substantiali*)? Non utique. Sed quia fides catholica non debeat nisi per unitatem similitudinem credere; ut similitudinem tantum ad excludendam unionem commemoret, non ad discidium unitatis: idcirco me dixi, cum nomina homœusii atque homœusii necissem, tamen per unitatem similitudinem recepisse. Hoc ipsum statim sequens sententia absolvit.

C (c) Ex Erasmi et Miræi margine, ubi hæc apologica nota jacet, restitui potest, *ne homœusion negligenter suscipiatur, non admonui.*

## ADMONITIO

### IN EPISTOLAM SEQUEMTEM ET SUBJUNCTUM EI HYMNUM.

*Hanc epistolam nugamentum hominis otiose indocti vocat Erasmus, Gillotius scribit a Fortunato sibi videri confictam; idque cum verissime scripsisse Scultetus, pag. 321, asseverat. At Fortunato ipsi, qui illius se non auctorem, sed testem facit, fidem non detrectandam merito censent æquiores rerum estimatores. Non enim credunt, sanctum Pictavenis ecclesiæ Præsulem mentitum, cum eam propria Hilarii manu subscriptam sua ætate Pictavis pro munere conservatam esse testatus est. Longe minus veritati consentaneum est, ut cum genuinum Hilarii epistolam præ manibus haberet, ea suppressa adulterinam supposuerit. Si quid autem in summa, quam ex ea exprimit, paulo aliter enuntiet quam in illa continetur; eo ipso palam facit, illam a se cusam non fuisse. Nihil porro in ea adfertur pio ac prudente indignum parente, qui carissimam filiam simul et puellam tenerrimam verbis ad ipsius captum accommo-*

*dati a vanis sæculi pompis ac deliciis avocet, ut eam caelesti sponso bonisque melioribus præparet. Cum autem sermonis obscuritates et ænigmata ad excitandas ingenii vires valde idonea sint: non imprudenter iis utitur sollicitus pater, multis jam annis a patria domo remotus, ut ex responsis filia ingenium ac studium illius experiatur. Jam enim triennio saltem Abram non viderat, cum hanc ei epistolam scripsit. In ea hymnum matutinum pariterque serotinum ipsi se mittere memorat. Excidit serotinum: sed matutinum una cum epistola ad calcem gestorum Hilarii a Fortunato scriptorum in quam plurimis mss. reperire est. Utrunque illud opus in antiquis Hilarii editionibus libro de Synodis non male subjungitur. Nam ut litteras Abra cum Gallorum litteris ab eo acceptas fuisse, ita et illius rescriptum eum libro de Synodis missum esse veri simillimum est.*